

APPENDIX

Quum ad firmandam doctrinam in hisce institutionibus traditam maxime pertineant plurimae propositiones a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa IX damnatae, quae in *Syllabo*, eiusdem Summi Pontificis auctoritate edito, collectae sunt, e re esse censuimus, eundem heic apponere.

SYLLABUS

COMPLECTENS PRAECIPUOS NOSTRAE AETATIS ERRORES, QUI NOTANTUR
IN ALLOCUTIONIBUS CONSISTORIALIBUS, IN ENCYCLICIS ALIUSQUE APO-
STOLICIS LITTERIS SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PII PAPAE IX.

§. I.

Pantheismus, Naturalismus et Rationalismus absolutus.

I. Nullum supremum, sapientissimum, providentissimumque Numen divinum existit ab hac rerum universitate distinctum, et Deus idem est ac rerum natura et iecirco immutationibus obnoxius, Deusque reapse sit in homine et mundo, atque omnia Deus sunt et ipsissimam Dei habent substantiam; ac una eademque res est Deus cum mundo, et proinde spiritus cum materia, necessitas cum libertate, verum cum falso, bonum cum malo, et iustum cum iniusto.

Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1862.

II. Neganda est omnis Dei actio in homines et mundum.
Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1862.

III. Humana ratio, nullo prorsus Dei respectu habitu, unicus est veri et falsi, boni et mali arbiter, sibi ipsi est lex et naturalibus suis viribus ad hominum ac populorum bonum curandum sufficit.

Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1862.

IV. Omnes religionis veritates ex nativa humanae rationis vi derivant; hinc ratio est princeps norma qua homo

— 129 —

cognitionem omnium cuiuscumque generis veritatum asse-
qui possit ac debeat.

Epist. Encycl. *Qui pluribus* 9 novembris 1846.

Epist. Encycl. *Singulari quidem* 17 martii 1856.

Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1862.

V. Divina revelatio est imperfecta et iecirco subiecta con-
tinuo et indefinito progressui qui humanae rationis progres-
sioni respondeat.

Epist. Encycl. *Qui pluribus* 9 novembris 1846.

Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1862.

VI. Christi fides humanae refragatur rationi; divinaque
revelatio non solum nihil prodest, verum etiam nocet ho-
minis perfectioni.

Epist. Encycl. *Qui pluribus* 9 novembris 1846.

Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1862.

VII. Prophetiae et miracula in sacris Litteris exposita et
narrata, sunt poetarum commenta, et christiana fidei my-
steria philosophicarum investigationum summa; et utriusque
Testamenti libris mythica continentur inventa ipseque Ie-
sus Christus est mythica fictio.

Epist. Encycl. *Qui pluribus* 9 novembris 1846.

Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1862.

§. II.

Rationalismus moderatus.

VIII. Quum ratio humana ipsi religione aequiparetur, iecirco theologicae disciplinae perinde ac philosophicae tra-
ctandae sunt.

Alloc. *Singulari quadam perfusi* 9 decembris 1854.

IX. Omnia indiscriminatim dogmata religionis christia-
nae sunt obiectum naturalis scientiae seu philosophiae; et
humana ratio historice tantum exculta potest ex suis natu-
ralibus viribus et principiis ad veram de omnibus etiam re-
conditioribus dogmatibus scientiam pervenire, modo haec
dogmata ipsi rationi tamquam obiectum proposita fuerint.

Epist. ad Archiep. Frising. *Gravissimas* 11 decembris 1862.

Epist. ad eudem *Tuas libenter* 21 decembris 1863.

X. Quum aliud sit philosophus, aliud philosophia, ille

ius et officium habet se submittendi auctoritati, quam veram ipse probaverit; at philosophia neque potest, neque debet ulli sese submittere auctoritati.

Epist. ad Archiep. Frising. *Gravissimas* 11. decembris 1862.

Epist. ad eundem *Tuas libenter* 21 Decembris 1863.

XI. Ecclesia non solum non debet in philosophiam unquam animadvertere, verum etiam debet ipsius philosophiae tolerare errores, eique relinquere ut ipsa se corrigat.

Epist. ad Archiep. Frising. *Gravissimas* 11 decembris 1862.

XII. Apostolicae Sedis, romanarumque Congregationum decreta liberum scientiae progressum impediunt.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* 21 decembris 1863.

XIII. Methodus et principia, quibus antiqui Doctores scholastici Theologiam excoluerunt, temporum nostrorum necessitatibus scientiarumque progressui minime congruunt.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* 21 decembris 1863.

XIV. Philosophia tractanda est, nulla supernaturalis revelationis habita ratione.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* 21. decembris 1863.

N. B. Cum rationalismi systemate cohaerent maximam partem errores Antonii Gunther, qui damnantur in Epist. ad Card. Archiep. Coloniensem *Eximiam tuam* 15 iunii 1847, et in Epist. ad Episc. Wratislaviensem *Dolore haud mediocri* 30 aprilis 1860.

§. III.

Indifferentismus, Latitudinarismus.

XV. Liberum cuique homini est eam amplecti ac profiteri religionem, quam rationis lumine quis ductus veram putaverit.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10 iunii 1851.

Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1862.

XVI. Homines in cuiusvis religionis cultu viam aeternae salutis reperire aeternamque salutem assequi possunt.

Epist. Encycl. *Qui pluribus* 9 novembirs 1846.

Alloc. *Ubi primum* 17 decembris 1847.

Epist. Encycl. *Singulari quidem* 17 martii 1856.

XVII. Saltem bene sperandum est de aeterna illorum

omnium salute qui in vera Christi Ecclesia nequaquam versantur.

Alloc. *Singulari quadam* 9 decembris 1854.

Epist. Encycl. *Quanto conficiamur* 17 augusti 1863.

XVIII. Protestantismus non aliud est quam diversa verae eiusdem christianaee religionis forma, in qua aequa ac in Ecclesia catholica Deo placere datum est.

Epist. Encycl. *Noscitis et Nobiscum* 8 decembris 1849.

§. IV.

Socialismus, Communismus, Societas clandestinae, Societas biblicae, Societas clericico-liberales.

Eiusmodi pestes saepe gravissimisque verborum formulis reprobantur in Epist. Encycl. *Qui pluribus* 9 novemb. 1846; in Alloc. *Quibus quantisque* 20 april. 1849; in Epist. Encycl. *Noscitis et Nobiscum* 8 decemb. 1849; in Allocut. *Singulari quadam* 9 decemb. 1854; in Epist. Encycl. *Quanto conficiamur moerore* 10 augusti 1863.

§. V.

Errores de Ecclesia eiusque iuribus.

XIX. Ecclesia non est vera perfectaque societas plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus iuribus sibi a divino suo fundatore collatis, sed civilis potestatis est definire quae sint Ecclesiae iura ac limites, intra quos eadem iura exercere queat.

Alloc. *Singulari quadam* 9 decembris 1854.

Alloc. *Multis gravibusque* 17 decembris 1860.

Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1862.

XX. Ecclesiastica potestas suam auctoritatem exercere non debet absque civilis gubernii venia et assensu.

Alloc. *Meminit unusquisque* 30 septembirs 1861.

XXI. Ecclesia non habet potestatem dogmatice definendi, religionem catholicae Ecclesiae esse unice veram religionem.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10 iunii 1851.

XXII. Obligatio, qua catholici magistri et scriptores *

omnino adstringuntur, coarctatur in iis tantum, quae ab infallibili Ecclesiae iudicio veluti fidei dogmata ab omnibus credenda proponuntur.

Epist. ad Archiepisc. Frising. *Tuas libenter* 21 decembris 1863.

XXIII. Romani Pontifices et Concilia oecumenica a limitibus suae potestatis recesserunt, iura Principum usurparunt, atque etiam in rebus fidei et morum definiendis errarunt.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10 iunii 1851.

XXIV. Ecclesia vis inferendae potestatem non habet, neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

XXV. Praeter potestatem episcopatui inhaerentem, alia est attributa temporalis potestas a civili imperio vel expresse vel tacite concessa, revocanda propterea, cum libuerit, a civili imperio.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

XXVI. Ecclesia non habet nativum ac legitimum ius acquirendi ac possidendi.

Alloc. *Nunquam fore* 25 decembris 1856.

Epist. Encycl. *Incredibili* 17 septembris 1863.

XXVII. Sacri Ecclesiae ministri Romanusque Pontifex ab omni rerum temporalium cura ac dominio sunt omnino excludendi.

Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1862.

XXVIII. Episcopis, sine Gubernii venia, fas non est vel ipsas apostolicas litteras promulgare.

Alloc. *Nunquam fore* 13 decembris 1856.

XXIX. Gratiae a Romano Pontifice concessae existimari debent tanquam irritae, nisi per Gubernium fuerint imploratae.

Alloc. *Nunquam fore* 15 decembris 1856.

XXX. Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitas a iure civili ortum habuit.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10 iunii 1851.

XXXI. Ecclesiasticum forum pro temporalibus clericorum causis sive civilibus sive criminalibus omnino de medio tollendum est, etiam inconsulta et reclamante Apostolica Sede.

Alloc. *Acerbissimum* 27 septembris 1852.

Alloc. *Nunquam fore* 15 decembris 1856.

XXXII. Absque ulla naturalis iuris et aequitatis violatione potest abrogari personalis immunitas, qua clerici ab onere subeundae exercendaeque militiae eximuntur; hanc vero abrogationem postulat civilis progressus, maxime in societate ad formam liberioris regiminis constituta.

Epist. ad Episc. Montisregal. *Singularis Nobisque* 29 sept. 1864.

XXXIII. Non pertinet unice ad ecclesiasticam iurisdictionis potestatem proprio ac nativo iure dirigere theologicarum rerum doctrinam.

Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* 21 decembris 1863.

XXXIV. Doctrina comparantium Romanum Pontificem Principi libero et agenti in universa Ecclesia, doctrina est quae medio aevo praevaluit.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

XXXV. Nihil vetat, alicuius Concilii generalis sententia aut universorum populorum facto, summum Pontificatum ab romano Episcopo atque Urbe ad alium Episcopum aliquam civitatem transferri.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

XXXVI. Nationalis concilii definitio nullam aliam admittit disputationem, civilisque administratio rem ad hosce terminos exigere potest.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

XXXVII. Institui possunt nationales Ecclesiae ab auctoritate Romani Pontificis subductae planeque divisae.

Alloc. *Multis gravibusque* 17 decembris 1860.

Alloc. *Iamdudum cernimus* 18 martii 1861.

XXXVIII. Divisioni Ecclesiae in orientalem atque occidentalem nimia Romanorum Pontificum arbitria contulerunt.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

§. VI.

*Errores de societate civili tum in se, tum in suis
ad Ecclesiam relationibus spectata.*

XXXIX. Reipublicae status, utpote omnium iurium origo et fons, iure quodam pollet nullis circumscripto limitibus.

Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1862.

XL. Catholicae Ecclesiae doctrina humanae societatis bono et commodis adversatur.

Epist. Encycl. *Qui pluribus* 9 novembris 1846.
Alloc. *Quibus quantisque* 20 aprilis 1849.

XLI. Civili potestati vel ab infideli imperante exercitae competit potestas indirecta negativa in sacra; eidem proinde competit nedum ius quod vocant *exequatur*, sed etiam ius *appellationis*, quam nuncupant, *ab abusu*.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

XLII. In conflictu legum utriusque potestatis, ius civile praevaleret.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

XLIII. Laica potestas auctoritatem habet rescindendi, declarandi ac faciendi irritas solemnes conventiones (*vulgo Concordata*) super usu iurium ad ecclesiasticam immunitatem pertinentium cum Sede Apostolica initas, sine huius consensu, immo et ea reclamante.

Alloc. *In Consistoriali* 1 novembris 1850.

Alloc. *Multis gravibusque* 17 decembris 1860.

XLIV. Civilis auctoritas potest se immiscere rebus quae ad religionem, mores et regimen spirituale pertinent. Hinc potest de instructionibus iudicare, quas Ecclesiae pastores ad conscientiarum normam pro suo munere edunt, quin etiam potest de divinorum sacramentorum administrationibus et dispositionibus ad ea suscipienda necessariis decernere.

Alloc. *In Consistoriali* 1 novembris 1850.

Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1862.

XLV. Totum scholarum publicarum regimen in quibus iuventus christiana alicuius Reipublicae instituitur, episcopalibus dumtaxat seminariis aliqua ratione exceptis, potest ac debet attribui auctoritati civili, et ita quidem attribui, ut nullum alii cucumque auctoritati recognoscatur ius immiscendi se in disciplina scholarum, in regimine studiorum, in graduum collatione, in delectu aut approbatione magistrorum.

Alloc. *In Consistoriali* 1 novembris 1850.

Alloc. *Quibus luctuosissimis* 5 septembribus 1851.

XLVI. Immo in ipsis clericorum seminariis methodus studiorum adhibenda civili auctoritati subiicitur.

Alloc. *Nunquam fore* 15 decembris 1856.

XLVII. Postulat optima civilis societatis ratio, ut populares scholae, quae patent omnibus cuiusque e populo classis pueris, ac publica universim Instituta, quae litteris severioribusque disciplinis tradendis et educationi iuuentutis curandae sunt destinata, eximantur ab omni Ecclesiae auctoritate, moderatrice vi et ingerentia, plenoque civilis ac politicae auctoritatis arbitrio subiificantur ad imperantium placita et ad communium aetatis opinionum amussim.

Epist. ad Archiep. Friburg. *Quum non sine* 14 iulii 1864.

XLVIII. Catholicis viris probari potest ea iuuentutis instituendae ratio, quae sit a catholica fide et ab Ecclesiae potestate seiuncta, quae rerum dumtaxat naturalium scientiam ac terrenae socialis vitae fines tantummodo vel saltem primario spectet.

Epist. ad Archiep. Friburg. *Quum non sine* 14 iulii 1864.

IL. Civilis auctoritas potest impedire quominus sacerorum Antistites et fideles populi cum Romano Pontifice libere ac mutuo communicent.

Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1862.

L. Laica auctoritas habet per se ius praesentandi episcopos et potest ab illis exigere ut ineant dioecesum procurationem antequam ipsi canonicam a S. Sede institutionem et apostolicas Litteras accipient.

Alloc. *Nunquam fore* 15 decembris 1856.

LI. Immo laicum Gubernium habet ius deponendi ab exercitio pastoralis ministerii episcopos, neque tenetur obediare Romano Pontifici in iis quae episcopatum et episcoporum respiciunt institutionem.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10 iunii 1851.

Alloc. *Acerbissimum* 27 septembribus 1852.

LII. Gubernium potest suo iure immutare aetatem ab Ecclesia praescriptam pro religiosa tam mulierum quam viorum professione, omnibusque religiosis familiis indicere, ut neminem sine suo permissu ad solemnia vota nuncupanda admittant.

Alloc. *Nunquam fore* 15 decembris 1856.

LI. Abrogandae sunt leges quae ad religiosarum familiis statum tutandum, earumque iura et officia pertinent; non potest civile gubernium iis omnibus auxilium praevenire.

stare, qui a suscepto religiosae vitae instituto deficere ac solemnia vota frangere velint; pariterque potest, religiosas easdem familias perinde ac collegiatas Ecclesias et beneficia simplicia etiam iuris patronatus penitus extinguere, illorumque bona et redditus civilis potestatis administrationi et arbitrio subiicere et vindicare.

Alloc. *Acerbissimum* 27 septembbris 1852.

Alloc. *Probe memineritis* 22 ianuarii 1855.

Alloc. *Cum saepe* 26 iulii 1855.

LIV. Reges et Principes non solum ab Ecclesiae iurisdictione eximuntur, verum etiam in quaestionibus iurisdictio-
nis dirimentis superiores sunt Ecclesia.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10 iunii 1851.

LV. Ecclesia a Statu, Statusque ab Ecclesia seiungen-
dus est.

Alloc. *Acerbissimum* 27 septembbris 1852.

§. VII.

Errores de Ethica naturali et christiana.

LVI. Morum leges divina haud egent sanctione, minime-
que opus est ut humanae leges ad naturae ius conformentur
aut obligandi vim a Deo accipient.

Alloc. *Maxima quidem* 9 iulii 1862.

LVII. Philosophicarum rerum morumque scientia, item-
que civiles leges possunt et debent a divina et ecclesiastica
auctoritate declinare.

Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1862.

LVIII. Aliae vires non sunt agnoscendae nisi illae quae
in materia positae sunt, et omnis morum disciplina honestasque
collocari debet in cumulandis et augendis quovis modo
divitii ac in voluptatibus explendis.

Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1862.

Epist. Encycl. *Quanto conficiamur* 10 augusti 1863.

LIX. Ius in materiali facto consistit, et omnia hominum
officia sunt nomen inane, et omnia humana facta iuris vim
habent.

Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1862.

LX. Auctoritas nihil aliud est nisi numeri et materialium
virium summa.

Alloc. *Maxima quidem* 9 iunii 1862.

LXI. Fortunata facti iniustitia nullum iuris sanctitati de-
trimentum afferat.

Alloc. *Iamdudum cernimus* 18 martii 1861.

LXII. Proclamandum est et observandum principium quod
vocant de *non-interventu*.

Alloc. *Novos et ante* 28 septembbris 1860.

LXIII. Legitimis principibus obedientiam detrectare, immo
et rebellare licet.

Epist. Encycl. *Qui pluribus* 9 novembbris 1846.

Alloc. *Quisque vestrum* 4 octobris 1847.

Epist. Encycl. *Noscitis et Nobiscum* 8 decembris 1849.

Litt. Apost. *Cum catholica* 26 martii 1860.

LXIV. Tum cuiusque sanctissimi iuramenti violatio, tum
quaelibet scelesta flagitiosaque actio sempiternae legi repug-
nans, non solum haud est improbanda, verum etiam omnino
licita, summisque laudibus efferenda, quando id pro patriae
amore agatur.

Alloc. *Quibus quantisque* 20 aprilis 1849.

§. VIII.

Errores de matrimonio christiano.

LXV. Nulla ratione ferri potest, Christum evexisse ma-
trimonium ad dignitatem sacramenti.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

LXVI. Matrimonii sacramentum non est nisi quid con-
tractui accessorium ab eoque separabile, ipsumque sacra-
mentum in una tantum nuptiali benedictione situm est.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

LXVII. Iure naturae matrimonii vinculum non est in-
dissolubile, et in variis casibus divortium proprie dictum
auctoritate civili sanciri potest.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

Alloc. *Acerbissimum* 27 septembbris 1852.

LXVIII. Ecclesia non habet potestatem impedimenta ma-
trimonium dirimentia inducendi, sed ea potestas civili au-

ctoritati competit, a qua impedimenta exsistentia tollenda sunt.

Litt. Apost. *Multiplices inter* 10 iunii 1851.

LXIX. Ecclesia sequioribus saeculis dirimentia impedi-
menta inducere coepit, non iure proprio, sed illo iure usa,
quod a civili potestate mutuata erat.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

LXX. Tridentini canones qui anathematis censuram illis
inferunt qui facultatem impedimenta dirimentia inducendi
Ecclesiae negare audeant, vel non sunt dogmatici, vel de
hac mutuata potestate intelligendi sunt.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

LXXI. Tridentini forma sub infirmitatis poena non obli-
gat, ubi lex civilis aliam formam praestituat, et velit hac
nova forma interveniente matrimonium valere.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

LXXII. Bonifacium VIII votum castitatis in ordinatione
emissum nuptias nullas reddere primus asseruit.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

LXXIII. Vi contractus mere civilis potest inter christia-
nos constare veri nominis matrimonium; falsumque est, aut
contractum matrimonii inter christianos semper esse sacra-
mentum, aut nullum esse contractum, si sacramentum ex-
cludatur.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

Lettera di S. S. Pio IX al Re di Sardegna 9 settembre 1852.

Alloc. *Acerbissimum* 27 septembris 1852.

Alloc. *Multis gravibusque* 17 decembris 1860.

LXXIV. Causae matrimoniales et sponsalia suapte natura
ad forum civile pertinent.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

Alloc. *Acerbissimum* 27 septembris 1852.

N. B. Huc facere possunt duo alii errores de clericorum
coelibatu abolendo et de statu matrimonii statui virginitatis
anteferendo. Confodiuntur, prior in Epist. Encycl. *Qui plu-*
ribus 9 novembris 1846, posterior in Litteris apost. *Mul-*
plices inter 10 iunii 1851.

§. IX.

Errores de civili Romani Pontificis principatu.

LXXV. De temporalis regni cum spirituali compatibilitate
disputant inter se christiana et catholicae Ecclesiae filii.

Litt. Apost. *Ad apostolicae* 22 augusti 1851.

LXXVI. Abrogatio civilis imperii, quo Apostolica Sedes
potitur, ad Ecclesiae libertatem felicitatemque vel maxime
conduceret.

Alloc. *Quibus quantisque* 20 aprilis 1849.

N. B. Praeter hos errores explicite notatos, alii complures
implicite reprobantur, proposita et asserta doctrina, quam
catholici omnes firmissime retinere debeant, de civili Romani
Pontificis principatu. Eiusmodi doctrina luculenter traditur
in Alloc. *Quibus quantisque* 20 april. 1849; in Alloc. *Si*
semper antea 20 maii 1850; in Litt. apost. *Cum catholica*
Ecclesia 26 mart. 1860; in Alloc. *Novos* 28 sept. 1860; in
Alloc. *Iamdudum* 18 mart. 1861; in Alloc. *Maxima quidem*
9 iunii 1862.

§. X.

Errores qui ad liberalismum hodiernum referuntur.

LXXVII. Aetate hac nostra non amplius expedit, religio-
nem catholicam haberi tamquam unicum status religionem,
ceteris quibuscumque cultibus exclusis.

Alloc. *Nemo vestrum* 26 iulii 1855.

LXXVIII. Hinc laudabiliter in quibusdam catholici
nominis regionibus lege cautum est, ut hominibus illuc immi-
grantibus liceat publicum proprii cuiusque cultus exercitium
habere.

Alloc. *Acerbissimum* 27 septembris 1852.

LXXIX. Enimvero falsum est, civilem cuiusque cultus
libertatem, itemque plenam potestatem omnibus attributam
quaslibet opiniones cogitationesque palam publiceque mani-

festandi conducere ad populorum mores animosque facilius corrumpendos ac indifferentismi pestem propagandam.

Alloc. Nunquam fore 15 decembris 1856.

LXXX. Romanus Pontifex potest ac debet cum progressu, cum liberalismo et cum recenti civilitate sese reconciliare et componere.

Alloc. Iamdudum cernimus 18 martii 1861.

FINIS

INDEX

| | |
|---|--------|
| PROOEMIUM | pag. 3 |
| IURIS ECCLESIASTICI PUBLICI NOTIONES GENERALES | » 9 |
| LIBER PRIMUS. <i>De Ecclesiae Christi potestate in se spectata.</i> | » 10 |
| CAPUT PRIMUM. <i>De Ecclesiae potestate, quae ex eius natura deducitur</i> | » 11 |
| SECTIO PRIMA. <i>De potestate, quae cuilibet societati perfectae vi sit naturae competit</i> | » ib. |
| ARTICULUS PRIMUS. <i>De potestate, quae cuilibet societati perfectae appetit in suos</i> | » 15 |
| §. I. <i>De Potestate legifera</i> | » 16 |
| §. II. <i>De Potestate iudicaria</i> | » 20 |
| §. III. <i>De Potestate coactiva</i> | » 21 |
| APPENDIX | » 25 |
| ARTICULUS SECUNDUS. <i>De potestate, seu de iuribus societatis perfectae in extraneos</i> | » 26 |
| §. I. <i>De potestate societatis perfectae in eos, qui tantum per abstractionem extranei sunt</i> | » ib. |
| QUAESTIO PRIMA. <i>De potestate societatis perfectae in eosdem, quatenus secum in statu concordiae sunt</i> | » 27 |
| QUAESTIO SECUNDA. <i>De statu conflictus</i> | » 30 |
| §. II. <i>De potestate societatis perfectae in eos, qui vel ex toto, vel ex parte extranei sunt</i> | » 33 |
| SECTIO SECUNDA. <i>De Ecclesiae natura: an societas perfecta sit, quemque gradum respectu ceterarum habeat.</i> | » 37 |
| ARTICULUS PRIMUS. <i>Ecclesia Christi societas est perfecta.</i> | » 38 |
| ARTICULUS SECUNDUS. <i>De gradu, quem habet Ecclesia Christi respectu ceterarum societatum</i> | » 51 |
| §. I. <i>De primatu Ecclesiae, eiusque potestate quoad societas civiles Catholicorum</i> | » 56 |